

THESES
HISTORICO-THEOLOGICI ARGUMENTI,
QUAS
STIPENDIARIORUM AD ACADEMIAM
IMPERIALEM ABOËNSEM

EXERCITATIONI INSERVITURAS,
VENIA MAX. VENER. FACULT. THEOL.

PUBLICE PROPONIT

ERICUS GABRIEL MELARTIN,

PHIL. DOCT. THEOL. PROF. P. O., IMP. ORD. DE S:TA ANNA
IN II CLASSE EQUES ATQUE H. A. INSPECTOR

STIPENDIARIORUM,

RESPONDENTE

NICOLAO ABRAHAMO GYLDÉN,

Stipendiario Publico, Wiburg.

In Audit. Philos. die XXIX Novembris MDCCCLXXIII

horis a. m. consuetis.

ABOÆ, Typis FRENCKELLIORUM,

F.

Theſis I.

Quisquis aciem mentis ad explorandum verum adnitentis, in perſcrutandam internam ſtructuram & concatenationem trium ſibimet invicem conſimilium Evangeliorum, quæ primū in Canone Novi Foederis occupant locum, intenderit; eundem varia perſtrictum arripiunt phaenomena rerumque momenta, quæ cum communi, fidei Traditionis Ecclesiastice superſtructa, de origine ſacrorum horum ſcriptorum opinione, componi aut conciliari vix poſſe, merito ſuſpicabitur.

Theſ. II.

Hinc neque mirari convenit, Interpretes recentiores, tan- tum non omnes, in diverſas divagatos vias, varias excogitasſe hypotheses, quibus partim obtinentem in laudatis tribus Evan- geliis, univerſim conſideratis, exquisitiſimam, respectu & ma- teriei & formæ, convenientiam atque affinitatem, partim ob- venientem hinc illinc notabilem utroque respectu discrepan- tiam, ſufficienter aut faltem probabiliter explicare conarentur.

Theſ. III.

Quæ quidem hypotheses, diverſa ceteroquin forma va- rioque ambitu expoitæ, in tres fere describi poſſunt ordines: nimirum, aut Evangelistas, in conſignandis commentariis ſuis alium alii ſubsequutos, scriptis antecesforum uſos atque adju- totis fuifte, aut eosdem e communibus hauiſſe fontibus, adſer- tum fuit; quos denique fontes nonnulli in diegeſibus ore at- que ſermone propagatis, alii in adnotationibus litteris man- datis querentes, ad ſimilitudinem veri, quam fieri poſſit pro- xime, accesſiſte ſibi viſi ſunt.

Theſ. IV.

Quod igitur ad primum adtinet hypothetum genus, plu- res eodem continentur explicandi rationes, opinionum atque conjecturarum modificationes, quarum Interpretes plus mi- nusve proſpero uſi ſuccesu, magis minusve altifono excepti applauſu, fecere periculum. In quibus adornandis utcunq; inſignem merito admirari oporteat, partim industriae ac erudi- tionis copiam, partim fagacitatis atque ingenii acumen, nem- ni tamen contigisſe deprehendes, quod ſcilicet contingere non

potuit, ut quæ circa structuram, n̄xum & conformatiōnē narrationū Evangelicarū observentur phænomena, omnia plene exhaūire ac sufficiēter explicare valeret. Sive enim cum *Grotio*, *Millio*, *Wetsteinio*, *Townsonio*, *Hugio*, aliisque postueris, Matthæum Evangelistam (prout antiquissima urget traditio ecclesiastica, suffragio eadem confirmata *Augustini*, *Marcum* pedissequum & breviatorem Matthæi adserentis), suum, quod in Codice N. F. habemus, Evangelium primum litteris mandas̄e, postque eum, *Marcum* scripto ipsius usum, atque ultimum *Lucam*, voluminibus amborum adjutum, suos concessisse commentarios; sive cum *Owenio*, *Strothio*, *Griesbachio*, *Ammonio*, *Paulo*, cet., Matthæum reliquorum antesignatum subsequutum in scribendo *Lucam*, & ultimo demum loco *Marcum*, e collatis priorum exemplaribus suum carptim prescrispisse putaveris; sive cum *Storrio*, Matthæum pariter ac *Lucam*, Evangelio *Marci*, ceteris scilicet priori, ductos telam referendorum pertexuisse autumaveris; sive cum *Büschingio*, *Evanſonio*, *Vogelio*, cet. *Lucam* primo loco, ejusque Evangelio instructos deinceps Matthæum *Marcum*que ad scribendum accessisse judicaveris; sive quemcunque alium tibi finxeris ordinem, quo Scriptores laudati, alias post alias, vestigiis antecessorum insistentes, suos composuisse videantur libellos; difficultatibus omnifariam gravissimis, e penitiori monumentorum istorum, qualia jam extant, collatione ac perscrutatione enatis, temet adeo senties implicitum atque circumcinctum, ut de expediendo, quo tutus procedas, itinere omnino desperandum esse, perspectum tibi reddatur atque persvasum.

Theſ. V.

Alteram enodandæ quæſtionis rationem sequuti *Eckermann* & præsertim *Gieseler*, probabile reddere studuerunt, evenisse circa ipsa primordia Ecclesiæ Christianæ, Hierosolymis scilicet efflorescentis, cum frequentissimi, uti credere fas est, de memorabilibus Salvatoris factis dictisque fererentur sermones, ut ex institutis atque piissimo mentis sensu depromtis collocutionibus, tamquam e sparsis feminibus, exoriretur sensimque adſtruetur definitus quidam narrationum religiosarum cyclus, donec iisdem identidem repetitis constans adhæſisſet exponendi for-

ma, adeo ut quæ de eventibus mirabilibus effatisque maxime insignibus, recenti adhuc multorum testium memoria servatis in medium proferrentur, ea vel iisdem vel parum discrepantibus verbis expressa, atque in seriem quandam narratorum redacta & disposita, Evangelium primitivum ore & auditione formatum constituerent, quod a diversis licet Scriptoribus deinceps litteris mandatum, originarium tamen genium & colorem tueretur; unde ea quæ in tribus prioribus Evangelii catholica etiamnum observatur convenientia atque harmonia, derivanda sit. Enimvero neque hac, utcunque ingeniosa hypothesi, rem de qua queritur, ad liquidum perduci posse, facile est ad videndum; quare eandem peritis harum eum arbitris parum probatam fuisse, non est quod mireris.

Theſ. VI.

Ad tertium denique hypothesum genus pertinent adſertiones atque argumentationes Interpretum, qui & ipſi e communibus, iisdem autem scripto consignatis fontibus promanasse Evangelistarum commentationes, ostendere adiſiſunt. Cujus pervasionis vestigia obscuriora jam in *Epiphanio*, clarius autem expressa apud *Johannem Clericum* primum occurſunt, ſuplicantem ſcilicet, originem duxisse Evangelia e commentariis eorum, qui variis Christi sermones audierant, aut auctorum ejus teſtes fuerant, eaque, ne oblivioni mandarentur, illico scriptis mandarant. Eandem ulterius persequuti viam Interpretum recentiorum haud pauci, quæſione accuratiſ instituta ac definita, eo pervaenerunt, ut ſibi perſuaderent, exigentibus rationibus, cum primitivæ Ecclesiæ Christianæ, tum præſertim primorum Evangelii præconum, factum eſſe, ut ad ductum Ideæ de Messia, quam adumbratam exhibuerat Christologia Judæorum, e locupletissima eventuum, factorum dictorumque memorabilium copia, quorum memoriam venerabundis pectoribus reconditam colebant Apoſtoli, confociatis horum confiliis, ea primum, per ſumma quaſi capita eundo, decerpta & rudi calamo exarata in codicem referrentur, quæ demonstrandæ atque firmandæ fidei de Iesu Messia maxime idones & ſuffectura intellexiſent, quo typum ſeu normam proponendorum conſtituerent atque exhiberent. Ita exortam originariam memorandorum Syllogen — Archetypum Evangeliorum (Urevangelium) appellare ſyeverunt — prima continuoſt stamina, quibus nEX deinde uberioreſ atque expofitiones Evangelistarum commentarii, indicia natūlum adhucum residua & dignoscenda adſeruent. — Hanc a Herdero, Eichhornio, Marshio, Gratzio, Bertholdio, cet. propositam varioque argumentationum apparatu exornatam hypothefin, & ipsam haud exiguis premi difficultatibus; ceteris tamen, quoad hactenus judecare licet, palmam præripere, non eſt diſimulandum,